

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Academiae Fridricianaee Pro-Rector Aug. Hermannus
Franckius, S.S. Theol. Prof. Publ. Ordin. Ecclesiae
Ulricianae Pastor, Et Gymnasii Halensis ...**

Francke, August Hermann

Halle, 1717

VD18 90810309

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



post Budd. meditaciones et schiss. in stirc.
1. ex alio de circumspectis fundit. d. fuli. i. a. a. o.
2. ex alio. i. o. i. p. s. r. t. n. m. l. h. m. d. s. d. r. k. i. g. u. n. u. h.
3. ex alio. b. o. y. a. r. i. c. g. m. i. c. u. l. y. a. l. e. r. t.
4. ex alio. p. e. n. t. e. r. p. o. n. u. m. e. s. t. u. l. l. i. a. t.
5. ex alio. H. e. l. m. s. t. e. l. l. i. n. f. i. s. t. e. M. i. d. d. i. x. A. l. e. b. i. n. F. M. i. d.
6. ex alio. M. i. d. a. l. i. c. u. l. i. s. s. a. r. f. f. e. r. t. m.
7. ex alio. M. i. d. a. l. i. c. u. l. i. s. s. a. r. f. f. e. r. t. m.

66



ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRO-RECTOR

AUG. HERMANNUS
FRANCKIUS,

S.S. THEOL. PROF. PUBL. ORDIN. ECCLESIAE ULRI-
CIANAЕ PASTOR, ET GYMNASII HALENSIS SCHO-

LARCHA,

VNA CUM

PROFESSORIBUS RELIQVIS,
GIVES ACADEMICOS

ad memoriam

Effusi in die Pentecostes Spiritus S.

digne celebrandam

omnes ac singulos

PERAMANTER INVITAT.

FRANCKESCHE STIFTUNGEN ZU HALLE



Vod Deus Optimus Maximus be-
ne vertat, redierunt, O CIVES,
beatissimi illi dies, quibus memo-
riam effusi olim in Apostolos Spi-
ritus S. pia festiuitate celebramus.
Tam solemnes olim hi dies, quum
primum illucescerent, Christianæ
ecclesiæ fuerunt, ut vere eius natales certa dici ratione que-
ant; adeo noua prorsus facies contemtis vsque eo &
modicis regni IESV CHRISTI rebus induebatur.
Omnia tunc vigere & florere, crescere omnia, & vberri-
mum polliceri prouentum incipiebant, quæ hucusque ari-
da & exfucca torpuerant: veluti quum fœcundus imber
siticulosas terræ glebas adspergere, & pallescentia grami-
na, herbasque iam iam emorituras rediuuo virore recre-
are solet, coll. Pf. LXVIII, 10.

Merito igitur, O CIVES, dum non more magis,
quam amore ducti, ad hæc sacra solemnia rite obeunda
vos inuitamus, illud diuinum oraculum vobis meditan-
dum proponimus Ies. XLIV, 3. 4. 5. *Effundam aquas su-
per sūtientem, & fluenta super aridam terram; effundam Spi-
ritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super
prognatos tuos. Ut efflorescant velut in medio graminosi cam-
pi; & sicut salices ad riuos aquarum. Hic dicet IEHOVAE
sum, & iste vocabit se nomine Iacobi; ille vero scribet manus sua,
IEHOVAE sum, & nomine Israelis se se denominabit.*

Orator, quem hic suauissimam cauſsam perorantem
audit, est IEHOVA, Dei filius, Rex & Redemptor Israelis
v. 6. coll. Matth. XXVII, II. 37. Luc. XXIV, 21. Ioh. I, 49.
c. XVIII, 37. is, qui delet nostra delicta, infra v. 22. & c.
XLIII, 25. coll. Ioh. I, 29. Act. III, 19. Col. II, 15. agnells
mactationi destinatus, ex cuius throno crystallina Spir-
itus

tus

tus S. flumina procedunt Apoc. V, 6. c. XXII, 1. cuius cum cruento ad Patrem abitu illustrior cælestis huius vnde effusio indissolubili nexu coniuncta erat Ioh. VII, 39. c. XVI, 7. Gal. III, 13. 14. is denique, de quo ipse Pater: *istum audite!* Matth. XVII, 5.

Auditores, quos hac sua oratione compellat, sunt *posteri Israelis*, v. 1. 2. c. XLIII, 1. interque illos ii præsertim, qui premebant vestigia fidei, a patre suo Abrahamo expressa Rom. III, 12. c. IX, 7. 8. His erigendis omni hic studio diuinus Orator illaborat. Magis nimirum ac magis illa adpropinquabant tempora, quibus ex Iesaiæ, aliorumque vatum diuinitus afflitorum, prædictionibus gens Iudaica in Babyloniam captiuitatem, diruta metropoli, veræ religionis sede, transportanda erat, coll. Ies. XXXIX, 6. 7. &c. Hæc res vt securos parum mouebat, ita eorum animos, qui fidem cælestibus minis adhibebant, ingenti terrore percellebat: siquidem inter tristes vrbis ac templi ruinas, veræ etiam religionis ac totius ecclesiæ irreparabilem interitum metuebant. Horum igitur animos, metu grauissimo conquassatos, confirmat Redemptor dulcissimis promissionibus, c. XI, 1. seqq. c. XLIII, 1. seqq. destructoque prius omni merito, quod forte Israelitæ allegarent, v. 22. ad fin. promittit, ecclesiam non modo inter istas turbas superfuturam; verum etiam, exantlatis exsilio aerumnis, longe illustriora capturam esse incrementa. Se enim, cura populi sui tactum, copiosos Spiritus diuini imbræ in eius reliquias tandem effusurum, c. XLIV, 3. adeo, ut non solum in aridis Iacobi agris omnia læto rursum adspectu resfloescant, v. 4. sed vt gentes etiam, ab Israelis ciuitate adhuc exclusæ, illius societatem ambiant, seq; fida ecclesiæ membra profiteantur. v. 5.

Discite hinc, CARISSIMI CIVES, quam curæ cordique sit CHRISTO ipsius Ecclesia, quantoq; eam studio inter turbas omnes in columnem conseruare, afflictam-

ue instaurare nitatur. Discite, quod omniscitis in Scripturis Spiritus loquatur, qui saeculorum omnium seriem diuinam oculorum acie perspectam habet, quiq[ue] facile praedicere potest beneficia, ecclesiae post plurimos annos euentura: siquidem illa ipsomet auctore & dispensatore erogantur. Discite demum, quantum Spiritus S. bonum ac donum sit: quia Deus ipse ad deiectos prostratosque piorum animos erigendos nullum efficacius adhibere potest argumentum, quam Spiritus S. promissionem; qua ipsa etiam CHRISTVS, a discipulis suis discessurus, grauisimum eorum luctum leniebat, Ioh. XIV, 16. 17. 26. c. XV, 26. c. XVI, 7. 13. Act. I, 4. 5. 8. &c.

Ceterum diuinus orator rem, quam Ecclesiae sue promittit, allegoricis primum, deinde propriis etiam & dilertis verbis exponit. *Allegoria*, qua vniatur, ab aquarum effusione defumta, & in facris paginis satis frequens ac solennis est. Conf. Ezech. XXXIV, 26. c. XXXVI, 25. Ioh. III, 1. Zach. XII, 10. Ioh. VII, 37-39. Act. II, 17. 18. 33. Tit. III, 5. 6. &c. Solent nimurum facri Scriptores beneficia, per CHRISTVM Ecclesiae parta, atque in primis Spiritum S. donum illud pretiosissimum Luc. XI, 13. sub schemate aquarum proponere. conf. Ies. XXXV, 6. 7. c. XLI, 18. c. LV, 1. &c loca modo citata. Sicut enim vnde ea vis est ac indeoles, ut maculas eluat, indurata emolliat, languida recreet, sitim restinguat, ac foecundet; ita sacer etiam Spiritus per fidem, sua virtute accensam, animos perpurgat, Ezech. XXXVI, 25. 27. Act. XV, 8. 9. Heb. X, 22. dura ac faxea corda moliter flecit, Ezech. XI, 19. fessas & grasperque animas efficacibus remedii refocillat Ps. LXVIII, 10. II. cartumq; sitim exsatiat Ioh. IV, 14. c. VII, 37. 39. sterilia denique, & non, nisi infausto vitiorum lolio foecunda, cordium arua ad frugiferam & laetissimam vberatem perducit, Ies. XLI, 18. 19. c. XLIV, 3. 4. Iam vero, ne quis, quum de aqua audit, existimet, benefici-

neficium illud, quod sub ista imagine promittitur, parce tam
tum, & velut guttatum distributum iri; addit præterea *fluentia*
rum nomen, ut larga & copiofissima cælestis huius doni dis-
pensatio atque effusio significetur, coll. Tit. III, 5. 6. & quo-
dammodo Ezech. XLVII, 1-7. Promittuntur vero saluberri-
mæ istius aquæ fluenta nullis, nisi *aridis* ac *suffientibus*, h. e. iis,
qui suæ paupertatis ac indigentiae stimulo incitati, cælestem
illam aquam & refectionem ardenter desiderant, ac terræ siti-
entis more se veluti findunt, & os orando fulpirandoq; ape-
rient. Conf. de hac siti Ief. LV, 1. Ps. XLII, 3. & LXIII, 2. Matth.
V, 6. Ioh. VI, 35. c. VII, 37. Apoc. XXI, 6. c. XXII, 17.

Ne autem cælestis Orator imperitorum auribus my-
steria tantum & ænigmata loqui videatur, mox, quæ sub al-
legoriæ inuolucro proposuerat, clarius exponit, & quid per
aquas ac fluenta intellectum velit, perspicuis verbis declarat.
Namque *Effundam*, inquit, *Spiritum meum super semen tuum,*
& benedictionem meam super prognatos tuos. Illum nimirum
Spiritum, largius, quam ante, effusum, suæ Ecclesiæ pollice-
tur, qui olim in rerum creatione aquis incubuerat Gen. I, 2.
qui cælorum exercitus condidit Psal. XXXIII, 6. qui homi-
nes formauit ad similitudinem Dei Iob. XXXIII, 4. qui,
quum immineret funesta orbis terrarum inundatio, cum
hominibus impiis disceptauit Gen VI, 3. quem exacerbaue-
runt Israelitæ Ief. LXIII, 10. qui Mosen Num. XI, 17. & Cale-
bum c. XIV, 24. gubernauit, qui in Dauide loquebatur 2. Sam.
XXIII, 2. cuiusque inhabitacionem sibi perpetuari ille opta-
bat Psal. LI, 13. Spiritum, qui dederit in vias salutis, Psal.
CXLIII, 10. Spiritum iudicii & ardoris Ief. IV, 4. Spiritum
intelligentiæ, sapientiæ, consilii, virtutis, scientiæ & timoris
IEHOVÆ c. XI, 2. Spiritum omniscium & omni loco præ-
sentem c. XL, 13. Psal. CXXXIX, 7. Sap. I, 7. cum *donis* ipsius,
tum ordinariis Ezech. XXXVI, 25. c. XXXIX, 29. Gal. III, 25.
Tit. III, 6. &c. tum extraordinariis Iocel. III, 1. Act. II, 3. seqq.

c. X, 45. 46. 1 Cor. XII, 1. 4. seqq. c. 14. 1. seqq. &c. Eundem autem spiritum mox *benedictionis* nomine adpellat, coll. Ezech. XXXIV, 26. Ps. LXVIII, 10. quia, vt Schmidius ad h. l. monet, veram benedictionem, Abrahamo promissam, Gal. III, 14. creditibus singulis obsignat, Eph. I, 3. 13.

Neque vero illud prætereundum est, quod Redemptor Spiritum *MEVM*, inquit, & benedictionem *MEAM* effundam. Merito enim illum *Spiritum suum* vocat, qui ab ipso non minus, quam a Patre procedit Apoc. XXII, 1. ac mittitur Ioh. XVI, 7. c. XX, 22. quique ipsius merito nobis partus ac donatus est, Ioh. VII, 39. Gal. III, 14. Vnde etiam *Spiritus CHRISTI* Rom. VIII, 9. 1 Petr. I, 11. Gal. IV, 6. *Spiritus oris* 2 Thess. II, 8. & *halitus labiorum eius* Ef. XI, 4. nuncupatur. Pari iure idem illud cælestè donum *benedictionem SVAM* nominat. Nimirum vti typicus V. T. sacerdos inter reliqua munia populo etiam benedicere debebat, Lev. IX, 22. Num. VI, 23. seqq. ita IESVS CHRISTVS, ἀγιεῖος τῶν μετόντων ἄγαθῶν Hebr. IX, 11. dum nostri loco in cruce maledictio factus est Gal. III, 13. *benedictionem* nobis meruit, quam per Spiritum S. dispensat. ibid. v. 8. 14. Act. III, 26. coll. c. II, 38.

Istum igitur Spiritum, istamque benedictionem se impertitum promittit *semini ac filiis Iacobi*, qui hic *sicutientium* vicem sustinent, de quibus ante in allegoria dixerat. Veniunt autem hoc nomine proximo quidem sensu Israeliticæ gentis posteri, qui genus ad Iacobum, tanquam parentem suum, referebant; quippe in quibus erigendis & consolandis, vt ante diximus, Redemptor inde a c. XL, 1. seqq. occupatus est. Minime tamen reliquæ gentes ab huius promissionis societate secludendæ sunt. Quamuis enim primum sacer Spiritus in Apostolos, ex Iacobi semine oriundos, solemnissimo ritu effunderetur Act. II, 1. coll. c. I, 13. seqq. mox tamen ad gentiles etiam beata ista flumina deriuabantur, vt Apostolica historia docet c. X, 44. 45. 46. c. XI, 15. 17. coll. Iоel III, 1.

Con-

Considerate vero porro, O CIVES, in vaticinio nostro etiam prædictum, lætissimum effusum Spiritus S. effectum. Videte, quam secundum illud efflorescant & rideant omnia, fœcuadissimo isto imbre perfusa. Quæcunque nimio legis æstu hucusque contabuerant, nouo nunc succo accepto, sub Viro Zæmach Zach. VI, 12. reuirescant, & mirabilibus incrementis aucta vberrimos Spiritus S. fructus effundunt, Gal. V, 22. Ephes. V, 9. Phil. I, 11. Col. I, 10. &c. Ita enim sanctissimus Orator pergit v. 4. *Et efflorescent velut in medio graminis, & velut salices adriuos aquarum.* Nimurum sicut gramina salicesque & celeriter crescunt, & miris se modis augent & diffundunt: ita Ecclesia, spiritu diuino irrigata, non inter Iudeos solum repentinis auctibus crescere visa est, coll. Act. II, 41. c. IV, 4. c. V, 14. c. VI, 17. c. IX, 31 &c. sed mox etiam extra Israeliticæ ciuitatis pomœria inter gentes sese diffudit & multiplicauit, coll. Act. X, 1. seqq. c. XI, 18. 21. c. XIII, 46 48 49. &c. Quum enim Apostoli, euangelicæ veritatis præcones, iuslū Domini ad paganos proficerentur, iisque IESVM cruci adfixum, atque ex mortuis rediuitum adnuntiarent: tum hic dicebat, *ego IEHOVA Esum*, eiusque gloriæ ac ministerio ad quæcumque obsequia me consecravi; cf. c. XLIII, 7. Apoc. XIV, 1. ille, velut dato chirographo testabatur, se Messia, quoisque viueret, seruiturum; *alius Iacobi & Israelis nomen*, adeo inuisum hucusque gentibus, eligebat; innumerī denique se CHRISTI sectatores, veræque ecclesiæ membra profitebantur, v. 5. cf. Psal. LXXXVII, 4. 5. 6.

Agite igitur, CIVES ACADEMICI, quum audiueritis, quid ante tot retro saecula Redemptor Ecclesiæ suæ promiserit, nunc quid vestrarum sit partium cogitate. Impleta sunt, quæ isto tempore Spiritus CHRISTI prædixit, & quæ tunc piorum coetus futura sperauit, Vos tanquam præterita recordamini: siquidem IESVS, ad dextram Patris exaltatus, promissum Spiritum in suos Apostolos effudit. Act. II, 33. Absit vero, O CIVES, ut exhaustum putemus IESV CHRISTI apparatus: absit, ut fons aquarū perennium Pf. XXXVI, 10. Ioh. IV, 14. similis factus sit cisternæ fræte & fatiscenti, quæ non amplius continet aquas. Ier. II. 13. Adferte modo, adferte parata siue vacua vas, & re ipsa

pla experiemini, quod ipsius thesauri eis replendis abunde sint sufficiunt. 2 Reg. IV, 3-6. Substernite ipsi aridas sitientesque animas: & sentietis, apertum iri cœli fenestras, ut diuini fauoris rorere, fœcundisque Spiritus cœlestis imbribus irrigentur.

Illud autem ante omnia agendum, O NOSTRI, vt animus liber sit a rerum caducarum cupiditate. Proscribenda est toto peccatore peruersa honorum, auri, deterrimarumque voluptatum sitis, indubium ægroti animi signum: qua qui laborant, quo plus bibunt, eo amplius sitiunt; eorumque more, quos aqua inter cœtem male habet, nunquam, & ne apud inferos quidem, exsatiantur. Luc. XVI, 24-25. Contra vero, si CHRISTO creditis, beati sunt, qui iustitiam sitiunt: quia ipse saturabuntur. Matth. V, 6. Ies. LV, 1.2. Hanc sitim, seria vestræ vacuitatis meditatione accentam, promissionum euangelicarum memoria magis atque magis acuite; memores, quod ex scaturigine aquæ viue plurimum bibat, qui plurimum sicut. Quum vero ardens ac fide suffulta oratio, illa velut siacula sit, qua saluberrimus liquor ex fonte salutis hauritur atque extrahitur; tum demum optime vobis consuletis, si tempus, vanis occupationibus subtractum, beatissime isti exercitationi impenderitis. Hic enim, si vsquam alibi, DEVVS ad vos dilata, inquit, os tuum, ut illud a me implatur. Psal. LXXXI, 11. Nequeminus, si Vos amatis, verbum DEL amabis, publicæ eius tractationi frequentes & audi festis hisce diebus intersuturi. Cogitate, optimum, vestræque salutis cupidissimum Seruatorem, ita vos in eo alloqui: *Qui sit, veniat: & qui vult, gratis accipiat aquam vitæ.* Apoc. XXII, 17. O beatam nostram Academiam, & instar horti IEHOVÆ, Gen. XIII, 10. futuram, si singuli hisce nostris monitis obsecundabitis! O dies festos vere μεγάλας Ioh. VII, 37. & glriosos, si CHRISTVS, fons & auctor aquæ cœlestis, velut premetur multitudine eorum, qui sitis restinguenda gratia ipsum circumfident! O Vos denique sempiterne beatos, si has aquas vitæ ex CHRISTI merito hauseritis! *Aqua enim, quam vobis dederit, fiet in vobis fons aquæ, in vitam eternam scaturientis.* Ioh. IV, 14. ubi Agnus ipse, qui est in medio solii, vos eternum pascet, & ad viuos aquæ fontes deducet. Apoc. VII, 17. P. P. feriis Pentecostalibus. CIC 1500 XVII.

Hale Magdeb. Lit. CHRIST. HENCKELII, Acad. Typogr.

W. 18

